

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

Sectio I. Praemissa generalia.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

## S E C T I O . I.

### P rae m i s s a g e n e r a l i a .

§. 1.

#### a) *D e origine negotii cambialis.*

I nter praecipua juris instituta, quae recentioribus, ut dicunt, seculis originem debent, maxime eminent singularis negotii cambialis ratio. Quanquam enim plures rerum antiquarum scrutatores istius negotii origines ad secula maxime distantia, ad populi videlicet romani inventa etc., referre voluerint, his tamen hodie pauci tantum suffragabuntur, in primis ex quo per ill. *de Martens*<sup>\*)</sup> tum antiquiora instituta, e quibus totum illud jus natum, tum viam, qua ad nostram aetatem, quanquam passim immutatum, deductum est, adeo luculenter monstravit, ut ad certissimam persuasionem, nisi omnino nihil, certe parum addi posse videatur.

§. 2.

#### 2) *D e fontibus juris cambialis,*

##### a) *iisdem leges communes non esse accensendas.*

Interim ex hac ipsa origine dictum negotium eam naturam induit et indolem, ut leges scriptas juris com-

<sup>\*)</sup> *Versuch einer historischen Entwicklung des wahren Ursprungs des Wechselrechts.* Göttingen. 1797.



munis non habeas, quibus ad decidendas quaestiones circa idem obvenientes utaris. Nihil dico de legibus imperii germanicis; notissimum enim omnibus est, nullam usquam in iisdem juris privati causam universam complexam esse, cum non nisi paucas quasdam regulas hinc inde disjectas de omnibus, quas tangunt, jurium institutionibus contineant. Nominant eaedem quidem cambium, sed vix semel atque iterum et non nisi hoc modo, ut omnem hujus doctrinae ambitum quasi aliunde notum supponant. \*) Alter juris communis fons, e corpore juris canonici emanans, ad haec jura, quae ecclesiam et cultum religionis ne mediate quidem tangunt, proprie non pertinet; nec igitur ullam hujus negotii mentionem ibi reperies. \*\*) Libros feudorum juri singulari dicatos plane praetereo. Restant juris romani s. civilis volumina (alia enim juris communis fundamenta ex mea saltem sententia minime sunt admittenda\*\*\*), uberrima ista sane in determinando juris civilis amplissimo ambitu; sed cum omnis illa cambii ratio romanis incognita fuerit (§. 1.); patet nullam ex legibus eorundem hauriri posse hujus negotii notam vel determinationem.

## §. 3.

\*) Rec. Imp. Nov. §. 107. et Concl. Imp. de an. 1671. §. 5 - in collectione legum imp. Senckenbergiana Tom. III. pag. 660. et Tom. IV. pag. 76.

\*\*) De libris corpori juris canonici adjectis, non vero vi legali donatis, sermo hic esse nequit.

\*\*\*) cf. Praecognita mea juris pandectar. §. 7. not. et meine Beyträge zur Berichtig. und Erweiterung der posit. Rechtswiss. St. I. Abh. I.



## §. 3.

b) Sed eos *suntim fontes huc pertinere, qui juri, ut dicunt, germanico privato inferiunt.*

Redit itaque omnis juris cambialis ratio ad eas doctrinas juridicas, quae, cum ex juris communis praceptis immediate deduci nequeant, disciplinae juris, quod vocant, germanici privati accensendae et secundum solam in eadem admittendam methodum evolvendae sunt, cujus primas lineas ex mea persuasione nuper exposui. \*)

## §. 4.

3) *De methodo in his doctrinis observanda.*

In hisce enim doctrinis juridicis primum eo spectandum, ut naturam negotii tibi clare expositam ante oculos ponas, i. e. ut notionem de tali instituto in universum vel receptam vel saltem suppositam secundum omnem ejus rationem certis limitibus definias. Ex hac enim notione rite intellecta singula circa istam causam praecepta in primis repeat et hauriat juris peritus necesse est. Saepenumero vero notio talis instituti tum quoad genus, tum quoad differentiani specificam e generalioribus composita est notionibus, quarum et praceptorum ad easdem relatorum in doctrina ista determinanda maxime partes esse debent, sive ex jure ut dicunt germanico vel particulari, sive ex jure communi aut peregrino eadem descendant. \*\*)

## §. 5.

\*) In cit. *Einleitung in die Wissenschaft des deutschen Privatrechts*, §. 19. 21. junct. §. 27. 28.

\*\*) *Einleitung*, cit. §. 28.



## §. 5.

4) *Monita generalia circa cambii notionem.*

Sunt plures, qui negotii cambialis praecipuam vim in carceris s. arresti personalis effectu, obligationem non impletam insequente, ponunt; sed perperam. Parum tantum momenti inde pendet, utrum in personam, an saltim in bona judex sententiam latam exequatur; in quo etiam leges communes et particulares non conveniunt. Summa potius omnis instituti eo redit, ut cuiuslibet obligationis cambialis implendae defectus paratissimam, ut dicunt, executionem secum ferat. Haec est propria et vera processus cambialis indoles, et ad eundem promtum paratumque habendum quilibet dirigendus est actus circa cambium obveniens. Istam vero paratissimam executionem ut decernere possit magistratus, quem hac de re adiit creditor cambialis; omnia ad dijudicandum casum obvium penitus et maxime perspicue cognita habeat necesse est. Omnis, quae hic ullam vim habere possit, absit obscuritas. Nullam oportet existere quaestioneum sive juris sive facti, quae judicem ad ambigendum et dubitandum ducat. Omnibus, quae quidem tenor juris in genere postulat, certitudinis requisitis satisfieri debet. Hinc est, quod uberrimus formularum, modorum, adjectionum, cautelarum, agendorum emanet fons, quae quidem omnia in singulis negotii cambialis stadiis necessario sunt observanda.

## §. 6.

5) *Conjectaria.*

Prae ceteris igitur hoc est omnibus, qui cambiorum negotio sese immiscent, attendendum, ut cuiuslibet facti, a quo unquam pendere possit jus quoddam, probatio ad

ma-



in signiendum utantur; per metonymiam enim istud fieri facile patet.

§. 8.

2) *Ulterior notionis dilucidatio,*

Praecedens protestationis cambialis definitio ex eo lucem et robur nanciscitur, quod in cambiorum tum trassatorum, tum propriorum cursu plures occurrant actus, quos ut tertius perpetret, contrahentes hac vel alia ratione convenientiunt, quippe ut obligationem quandam implendam voluntatis suae declaratione suscipiat vel etiam eandem revera impleat. Quod quidem si non faciat vel non penitus sive minus perfecte faciat, sive nolit sive nequeat, redit res ad priores contrahentes; idque si acciderit, nova nascitur unius contrahentis obligatio, quae alias si nempe desiderio respondisset tertius, locum non habuisset. Ut igitur novae huic obligationi sua vis et effectus constet, necesse est argumenta in promtu sint, quibus probetur, haud praestitam fuisse, quae hujus obligationis conditionem contineat, actionem; id quod fit interposita protestatione cambiali \*)

§. 9.

3) *Notionis per partes explicatio.*

Si istam definitionem, quam praemisi, in suas partes dissolvere velis; facillime invenies, ad protestationis cam-

\*) Terminum: *einen Protest leviren*, alii de acceptatione instrumenti a notario per protestantem facta, alii de ejusdem transmissione ad trassantem s. alium ex cambio obligatum, alii denique de ipsa instrumenti confectione explicant. Cum vero omnia ista facta in eadem concurrent persona, ultimum autem maximi inter omnia sit momenti; haec vocabuli significatio palmam mihi prae ceteris mereri videtur.